

165
quum appareat, quantum illi ingenii fuerit, quantumque gloria & nominis, Patriæ attulisset, si longiorem vitam produxisset, libet ea iterum hic describere, ut eruditissimi Civis Opera, quantum situm est in nobis, in dies magis innotescant.

PETRONII ANTIGENIDIS PISAURENSIS

C A R M I N A. (*)

I. De *Literarum Æternitate ad Appiam.*

Hæc Urbem circa, stulti monumenta laboris,
Quasque vides moles, Appia, marmoreas:
Pyramidasque ausas vicinum attingere Cælum,
Pyramidas, medio quas fugit umbra die:
Et Mausoleum miseræ solatia mortis,
Intulit æternum quo Cleopatra virum:
Concutiet, sternetque dies: quoque altius exstat,
Quodque opus, hoc illud carpet, edetque magis.
Carmina sola carent fato, mortemque repellunt;
Carminibus vives semper, Homere, tuis.

II. De *Achille.*

Cauta quidem Genetrix, noceant ne vulnera nato,
Confirmat Stygio fonte puerperium;
Sed quia fas nulli est humanam vincere sortem
In membris tincti dant sibi fata locum.

III. De *Telepho.*

Telephus, excellens Alcida pignus, & Augæ,
Externæ fortis bella inopina tulit.
Nam Graii Trojam peterent quum mille carinis,
Tangeret & classis litus adacta suum;
Occurrens Danais, forti dum pugnat Achilli,
(**) Syria pugnanti percutit hasta femur.
Pro cuius curâ consultus dixit Apollo,
Hostica quod salubrem cuspis haberet opem.

Mox

(*) *Ex editione Petronii Amstelodamensi 1669. Typis Joannis Blæu.*
(**) *Pessime; neque enim id carminis leges patiuntur, neque Achillis patrias; fortasse Pyrrria
ita enim antiquius dicebatur Thessalia.*